Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1715

Quelle:
Copyright:

Interpres dictae Editionis reddidit: *Ego proficiſcar nunc cum literis publicæ fidei a Rege mihi datis;* qui et alias verbis τȣ ἀυτογραφȣ non ſatis inhaeret. Epiſtola altera prolixior hortatibus et doctrinis ad Suos referta Operum *Huſſi* Collectores, ut videtur, fugit. Incipit illa poſt ſalutationis formulam: *Naymyleyſſye, ſſlyſſe zadoſt vaſſy y proſſpyech wbozyem zakonye, bobu dyekugi wradoſty* &c. Id eſt: *Dilectiſſimi, Audito deſiderio veſtro et profectu in divino foedere Deo gratias ago in gaudio* &c.

II. *fol.* 4. ſequitur: *Reuocatio Zether de Crumpow facta in Prachaticz.* Bohemice. Sacerdotem quendam *Wenceslaum* vir hic maledictis inceſſerat.

III. *fol.* 5. Epiſtolae IV. *Quintyni*, ut praefertur, *Scoticae Terrae Domini* e lingua Viro huic vernacula, in qua nomen illi *Folkhyerde* (Paſtor Populi) fuiſſe dicitur, in *Bohemicam* converſae, quarum I. ad omnes Chriſtianos, II. ad Epiſcopum *Gloceſtrienſem*, ejusque Praelatos, III. ad Magnates, IV. ad proprium, aliosque Parochos dirigitur, ad diſſeminanda per *Bohemiam Wicleſi* Placita, Clerumque in invidiam vocandum peropportunae. Unde ſuſpicio oriri poſſit, eas a *Pet. Paynio*, aliove *Huſſi* adſecla confictas fuiſſe. *Folcardum* Monachum *Anglum*, et *Quintinum Scotum* Poetam novi; at ille Sec. XI. hic XIV. ineunte vixit.

IV. *fol.* 12. Loca *Matth.* 26. *Pauli* 1. *Cor.* 11. *Thomae Aqu.* P. III. Q. 76. *art.* 2. *Cypriani* ad *Caecil.* et ad *Thibaritanos*, demum *Gelaſii* Papae de *Conſecr. Diſt.* 2. rhythmis Bohemicis reddita, hoc Prologo:

Otazka nynie takowa byezi
Mezy ſwietſkymi ytake knyezi
Sluſſeli wſak wyernym krzeſtanom
Zenam ſwyetſkym a nebo muzom
Zkalicha przigymati krew buozi
Czili geſt to vſtaweno toliko knyezi.

Quaſi dicas, agitari nunc Quaeſtionem, utrum Calix Dominicus bibendus ſit omnibus, an vero id ſit Sacerdotum duntaxat Inſtitutum. Loca porro ad adſtruendam neceſſitatem adferuntur.

V. *fol.* 14. p. 2. *Joh. Huſſi* Epiſtolae latinae *Conſtantia* datae numero XIX. partim integrae, partim excerptae, quae in Edit. *ſupracit.* a p. 79. ad p. 90. T. I. occupant locum 15. 19. 20. 16. 17. 22. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 38. 39. 40. 41. 37. Epiſtola enim 31. in *Codice* duas conſtituit, *octavam* nempe et *decimam*. Inſerti ſunt etiam hiulci illi Verſiculi:

Littera